



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 36. Montbrunius a Catholicis captus, & supplicio affectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.

A.C. 1575.

§. XXXVI.

Montbrunius a Catholicis captus, & supplicio affectus.

Thu. l. 60.

Avila l. 6.

Matthieu

l. 7.

*Chorier hist.
du Dauph.*

Sub idem tempus Montbrunius in Occidania a Catholicis capiebatur. Hic ex spuris reformatis primus erat, qui rebellionis vexillum in regno erigere præsumebat, ac Henrico III. anno priori Liberonensi obsidioni intento, ipse copiis suis, ut Regis impedimenta exspoliarent, præcipiebat, cum vero eisdem exprobraretur, quod se esse Regis subditum immemor videretur, respondit: „in bello, atque in lusu omnes æquales sumus.„ Ceterum cum captus esset, Aulicorum jussu sollicitè custodiebatur, illumque Rex Gratianopolin abduci iussit, ut hujus urbis Curia in eum iudicii acta instrueret.

Equidem Condæus Princeps, Damvilla, omnesque Protestantes impense pro hujus Viri liberatione instabant, imo ipse etiam Guisus Dux summis precibus illum redimi, ac commutari volebat cum Bemio Colinii Architalassii Sicario, qui ex Hispania, quo a Guisio Duce missus fuerat, redux prope Jarnacum in Engolismensi agro a Bouttevilano præsidio captus fuerat: attamen horum omnium sollicitationes suo successu frustrabantur, quippe Montbrunius

Sæcul. XVI.
A.C. 1575.

nus die vigesima nona Julii Gratiano-
polim abstractus ad mortis supplicium
damnabatur, quæ etiam sententia die
duodecima Augusti executioni data est,
licet ejus fama anno sequenti pristinis
honoribus restituta, ac judicii acta tan-
quam irrita fuissent declarata: porro
defuncto Montbrunio totius Protestan-
tici exercitus imperium in Delphinatu
obtinebat Franciscus Bona Diguierius
qui tum adhuc juvenis præter nobilita-
tis prærogativam nulla quidem digni-
tate præitabat, magna tamen apud
suos existimatione valebat.

§. XXXVII.

Alenfonius Dux ab aula profugus.

Eo tempore non modo Alenfonii Du-
cis, qui Regis Frater erat, fuga,
ejusque publicum scriptum, sed etiam
fautorum eidem adhærentium numerus
non parvos tumultus maxima cum
solicitudine sedandos augebat. Hic
Princeps fugæ suæ ignominiam probe
prospiciens, ut illam vindicaret, quem-
dam probatæ fidei Virum ad summum
Pontificem ablegabat: verum illius apo-
logia ob publica, quæ propter hunc dis-
cessum Protestantes edebant, lætitiæ
signa admodum suspecta reddebatur:
nihilominus Papa transmissis ad Ducem
diplomate respondens, eundem ad pa-

*Thu. l. 6r.
Avila l. 6.*

Hist. Eccles. Tom. XLIX. T cem